Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26218
Copyright: Admont, Benediktinerstift

potentem creavit. apte ratiocinando subiungitur. Opus enim
manuum eius sunt universi. atque mox subditur. Subito morientur.
et in media nocte curvabuntur populi et pertransibunt. Quam
libet sero tollantur de hac vita iniqui. subito et repente tol
luntur. quia suum finem cogitando providere nesciunt. Subito
est. quod ante cogitare non potuit. Subito dives ille tutus (l sublatus) est.
qui horrea quae praeparabat deseruit. et inferni locum quem non pro
videbat invenit. Ad aliud exercebat animam per cogitati
onem. sed ad aliud emisit per sententiam. Aliud dum viveret
contemplatus est. aliud dum moreretur expertus. Reliquit enim diu trac
tata temporalia. et inopinata invenit aeterna. Unde ei
propter hanc ignorantiam caecitatis suae bene per divinam sen
tentiam dicitur: Hac nocte animam tuam repetunt a te. In
nocte quippe ablata est. quae in obscuritate est cordis amissa.
In nocte ablata est. quae considerationis lucem habere noluit.
ut quod poterat pati provideret. Unde bene discipulis futura
cogitantibus paulus apostolus dicit. Vos autem fratres non estis in tenebris.
ut vos dies illa tamquam fur comprehendat. Omnes enim vos filii
lucis estis. et filii diei. Non sumus noctis. neque tenebrarum.
Dies enim exitus tamquam fur in nocte comprehendit. quando stultorum
animas futura non providentes eicit. Unde hic quoque apte
subiungitur. Et in media nocte curvabuntur populi. et per
transibunt. In media enim nocte curvati pertranseunt.
qui in obscuritate suae negligentiae humiliati rapiuntur.
Tunc curvabuntur per sententiam iudicis. qui nunc curvari
negligunt per humilitatem cordis. Electi autem ne inviti
curventur in morte. sponte curvantur in humilitate.
Unde sanctae ecclesiae de conversa plebe persecutorum dicitur: Venient
ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te. Et bene de mo
rientibus populis non ait transibunt. sed pertransibunt. quia etiam